



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE*COGITANTIBUS DE VITA*VENERABILI FAMULAE DEI
MARIAE CATHARINAE TROIANI

A S. ROSA VITERBIENSI, FUNDATRICI INSTITUTI FRANCISCALIIUM
SORORUM MISSIONARIARIUM AB IMMACULATO CORDE B. M. V.,

BEATORUM HONORES DECERNUNTUR Ad perpetuam rei memoriam. – Cogitantibus de vita tot fidelium, qui heroum in modum virtutes coluerunt, ante oculos ponitur ea velut nuntius, in quo tum eorum indoles declaratur, tum ipsi tamquam ii exhibentur, qui, hoc tempore nostraque in communitate Ecclesiali degentes, probaverunt quid esset «voluntas Dei, quid bonum et bene placens et perfectum» (*Rom* 12, 2). Cumque in eorum numero habenda sit Famula Dea Maria Catharina Troiani a S. Rosa Viterbiensi, fundatrix Instituti Franciscalium Sororum Missionarum ab Immaculato Corde B. M. V., hic de ea loqui Nos maxime auvat. Tertio loco a coniugibus Thoma Troiani atque Theresia Panici Cantoni genita, haud longe ab Urbe in oppido vulgo «Giuliano» die XIX mensis Ianuarii nata est anno MDCCCXIII ibidemque eodem die in baptisate nomina accepit Constantiam Dominicam Antoniam. In simplicitate quidem procedebat prima eius infantia, beneque puellula educabatur ac religiose a matre pientissima; at illa sexto aetatis suae anno, mortua matre, Sororibus Sanctae Clarae a Caratate in monasterio Ferentino degentibus credita est, apud quas Sanctissimam etiam Eucharistiam primum sumpsit et Confirmationis chrisma suo tempore accepit. Ibi autem, cum pridem petivisset ut sibi novitatum ingredi aliquando liceret, sedecim annos nata vestem monasticam anno MDCCCXXIX induit utque Religiosa tunc votata est Maria Catharina a S. Rosa Viterbiensi. Haud dubie in novitiatu submissam docilem oboedientem se praebuit, orationis studiosam suaque abnegationi studentem; ibique, uno transacto anno, professionem religiosam votaue simplicia nuncupavit. Deinde vero adiutricem alacremque operam, nam et a secretas munereungebatur, cum Matre Castelli consociavit, eo proprie spectans ut Ferentinum monasterium reformaret necnon efficacius ibi religiosam vivendi et agendi rationem tueretur. Cumque id factum esset, anno MDCCCXLII Apostolica Sedes eiusmodi monasterium probe emendatum publice riteque agnovit. Praeterea, cum iam inde ab altero et vicesimo suae aetatis anno vehementer Famula Dei expetivisset facultatem curae adhibendae de longinquis etiam ultra maria gentibus ad fidem Christi convertendis, anno tandem MDCCCLIX, ea sententia aperte dicta, Capitulum Ferentini monasteri statuit ut Memphi in Aegypto coenobium conderetur. Hac de causa sex missionariae Sorores, inter quas venerabilis Famula Dei, Ferentino Memphim eo ipso anno profectae sunt die XIII mensis Septembris; ibique tunc mulierum primae Missionis initium est factum, ubi et Domus, vulgo «Clot-Bey» appellata, citius efficientissima sedes caritatis eruditionis evangelizationis facta est. Posthac, frequentioribus factis Sororibus illi Missioni deditis, illud a Ferentino seiunctum suique iuris factum Aegyptiarum Franciscalium Missionarum Institutum Congregatio de Propaganda Fide anno MDCCCLXVIII publice approbavit, quod ipsum ab Immaculato Corde Mariae nunc vocatur, eique uti Antistitam Famulam Dei Mariam Catharinam destinavit praefecitque. Ea autem, cum primum illius Instituti Capitulum Generale anno MDCCCLXXVII indictum esset, eo ipso anno in eodem munere suffragantibus omnibus constituta est, sicut factum est iterum sex post

annis. At mater M. Catharina, duodetriginta post annos ad navitatem apostolicam collatos necnon singillatim ad complures Missionum sedes instituendas, ad Deum pie migravit fama sanctimoniae affecta atque tamquam fidelissima Dei Famula nitere incepit; eadem enim, cum mortalem vitam habuisset veluti munus Domino Deo reddendum, id in plena eius consiliorum observantia facere non dubitavit. Quae olim Deo promiserat se «semper in oboedientia et in oblivione vivere velle», eam constat non solum vocationem religiosam ac missionalem magno bonoque animo secutam esse, familiaribus ei adversantibus, sed omnes etiam christianas virtutes, impedimentis et difficultatibus incredibilibus haud obstantibus, maxime coluisse; quibus tam fortis mulier ac prudens, potissimum in missionali exercendo munere saepius perarduo, illustrata visa est in vita. Ultra solitum flagrabat eius animus caritate Dei, quae maxime lucebat, et in proximis, maiorem in modum in derelictis maleque affectis, aperiebatur; quorum omnium M. Catharina aeternam cupiebat salutem. Fides eius in iis consistebat agendas, quae persuasum sibi haberet Deo pergrata fore. Propterea voluntas Dei, quam illa agnoscere per orationem solebat cuique summam habebat fiduciam, vitam eius totam illuminabat eiusque actus moderabatur. Adde quod Catharina Troiani, ut plene Dei voluntati adhaereret, non dubitavit Ordini S. Clarae se devovere et in Aegypto laboriosum aggredi missionis opus, quae quidem facta tamquam praecipuos suae vitae delectus semper habuit. Spes eius haud alia res erat ac certitudo utendi auxilio divinae Providentiae adversus omnes sui operis difficultates. Cuiusmodi spei etiam ceterae virtutes iungebantur, quas venerabilis M. Catharina tam religiose coluit, ut se exhiberit «hostiam viventem, sanctam, Deo placentem» (*Rom 12, 1*). Post mortem Famulae Dei, cum magis magisque cresceret fama sanctitatis eius, tandem initium Causae Beatificationis factum est anno MCMXXXVII, quinquaginta scilicet annis ab eius morte exactes. Informatives igitur, quos dicunt, processibus instruendis rogationibusque rogandis ab anno MCMXXXVII ad MCMXXXIX data est opera tum Alexandrine et Hierosolymis, tum Ferentini atque Iuliani. Processibus deinde Apostolicis annis MCMLVII-MCMXLIX expletis, per Decretum die V mensis Februarii anno MCMLVIII editum iudicialis confirmata est validitas Processuum Causae ad id usque tempus instructorum. Die XXVIII mensis Novembris anno MCMLXVII, priore ac praeparatoria super Famulae Dei virtutibus apud Congregationem pro Causis Sanctorum recognitione instituta ac disceptata, plerique ibi Patres Cardinales proposito de heroicis virtutibus dubio «affirmative» responderunt. At die XXI mensis Martii anno MCMLXVIII Paulus PP. VI, Decessor Noster ve. me., mandavit ut ad ulteriore procederetur: quam rem sententia et auctoritate quoque Nostra confirmavimus anno MCMLXXXI. Etenim in Coetu Consultorum eiusdem Congregationis, qui iterum ad disceptandum de heroicis Famulae Dei virtutibus anno MCMLXXXII convocatus est die V mensis Ianuarii, ii omnes in idem consentientes ad propositam quaestionem responderunt «affirmative». De qua re Decretum Congregationis rytum habuimus die XII mensis Iulii anno MCMLXXXII. Quod vero ad signum extraordinarium attinet, cum ad beatificationem uno dumtaxat miraculo opus sit rite agnito et approbato, sanatio propositi est, quae, eiusmodi Famula Dei intercedente, dicebatur divinitus patrata: sanatio nempe mulieris Ianuensis Carolinae Esposito natae Scotto di Perta, matris familiae quadragesimum annum tunc agentis et in praesenti adhuc viventis. Ea enim, invocato venerabilis M. Catharinae Troiani nomine, inopinato et perfette die XI mensis Iunii anno MCMLX sanata est a «brucospirochetosi», quam dicunt, aliisque a gravibus corporis corruptionibus quae incurabiles habebantur indeque ab anno MCMLII iterum affligebant eam. Cum igitur peritior medicus agnovisset eiusmodi sanationem non nisi praeter leges naturae et modum contingere potuisse, ipsis Patribus Cardinalibus in id consentientibus, res ad Nos relata est, qui, Congregationis suffragia excipientes et confirmantes, die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIII per novum Decretum ediximus constare de vero miraculo, venerabili M. Catharina Troiani intercedente, a Deo patrato. Statuta denique Beatificationis die, hodie mane acta est Beatificatio tum eius, tum Paulinae Mallinckrodt; qua re in area ante Basilican Petrianam patente, hanc formulam inter Sacra elocuti sumus: «Nos, vota fratrum nostrorum Ioannis Ioachimi Degenhardt, Archiepiscopi Paderbornensis, Angeli Cella, Episcopi Ferentini, necnon plurium aliorum Fratrum in episcopatu, multorumque christifidelium explentes, de Congregationis pro Causis Sanctorum

consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut venerabiles Servae Dei Paulina Mallinckrodt et Catharine Troiani Beatorum nomine in posterum appellentur, earumque festum die ipsarum natali: Paulinae Mallinckrodt die tricesima Aprilis, Catharinae Troiani die sexta Maii, in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Sueta demum oratione habita de vita et virtutibus Beatarum, quas modo publice diximus, eas venerati sumus summaque cum religione primi invocavimus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIII mensis Aprilis, anno MCMLXXXV, Pontificatus Nostri septimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1985 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana